ORATIO DE ORIGINE, POTENTIA, AC TYRANNIDE THURCORUM,

Ad Serenissimum & potentissimum Henricum Angliæ & Franciæ Regem. &c. Eius nominis Octauum. Dicta Londini a D. Ioanne Fabro.

M. D. XXVIII.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO patri ac Illustrißimo Principi Bernardo Episcopo Tridentino, Serenißimi ac Inuictißimi D. Ferdinandi, Hungariæ, ac Bohemiæ Regis &c. Archiducis Austriæ &c. Prothocancellario. Ioannes Fabri Doctor, Salutem, gratiam, & pacem, ab eo qui est benedictus in secula. Amen.



VM nuper exactius mecum, neq; id sine maximo dolore perpenderem. Reuerendißime præsul, quàm uarijs calamitatum insultibus & procellis respublica Christiana aliquot iam retroactis annis undiquaq; uorsum sit lacesßita, afflictaq;, adeo ut parum abfuerit (nisi Deo opt. Max. aliter uideretur) quin perinde ut nauis altißimo maris gurgite ad scopulum illisa, tot discriminũ naufragio pœnitus interiret. Inde est, quod dubium mihi oboriri cœperit, tibi ne magis, qui iam in Inuictißimi atq; potentißimi Hungariæ Bohemiæq; Regis D. Ferdinandi Principis nostri augustißimi Prothocancellarium, communibus omnium uotis pariter ac publico bono electus es: an uniuerso potius orbi terrarum, cui talis, tamq; circumspectæ prudentiæ Princeps moderator contigiße uidetur, cõgratulari cõueniat. Precor itaq; ut hoc quicquid est eminentiæ, tũ pri-

Prothocancellarius.



uatim, tum publice felix faustumq; sit futurũ. Sed quis porro dubitabit, diuina quadam prouidentia, huius ferrei seculi longe quam difficillimo temporum articulo, te in eum locum, dignitatisq; culmen idq; citra ullam ambitionis notam esse euectum? Nã in præsentiarum æque ac inter Scyllã & Charybdim constituis, omnis melioris auræ spes, si quæ reliqua est, in te uno & unico, nõ secus atq; in sacra anchora, consistit. Siqdem altera ex parte Lutherismi præsentißimo toxico tota pene Germania sit infecta, altero item è latere truculentißima Turcorum immanitas, toties iam (proh dolor) nostro malo experta, latius sæuire tentet. Tu ille ipse es Hercules, seu (ut significantius dixerim) David potius, q funda tua, hoc est singulari ac diuina propemodũ, qua preditus es, & eruditione & magnis magnorũ cõsiliorum industria, superbũ illum Turcorũ Goliad sis prostraturus, ita ut ab hijs imminentib. periculis securitatẽ, portũ, ac ipsam deniq; salutẽ nobis audacter polliceri poßimus. Præterea si quis ad orthodoxã fidẽ & præsentem reip. Christianæ statũ, hæreticorũ uidelicet arietib. non mediocriter quassatũ, oculos reijciat, nõne sicuti de Hieremia propheta testatũ est, quasi columnã ferreã, murũq; æreũ, pro tota ciuitate Hierusalẽ, fortiter te opponi deprehẽdet? ita quod (auxiliãte Chrõ) impij seu etiã ĩferorũ

portæ aduersum te nihil præualebũt. Iam uero operæprecium quod sim facturus non arbitror, ut altius tum ipso (quod aiunt) ab ouo repetam, quot & quantas clades non dico ab exoticis illatas, sed quas à Germanis germania perpetuo biennio acceperit. Illas inquã furias & faces unde obsecro nisi à Luthero: quem pro sua uirili acriter suffudiße frigidã cõstat primũ ortas dicam? Sed incendiũ hoc utcũq; uires suas longe lateq; sparserit, modo uigiles habere uelis oculos, nullo negotio restinguetur, Germania enim, quæ olim inter omnes nationes ob uerum Dei diuorumq; Christi cultum, ob morum deniq; incorruptißimorum plus quàm niueam syncerltatem, cum primis spectabilis commendabatur, simulatq; mutato instituto cum porcis in uolutabro sese immergi, quàm è limpidißimis fidei scatebris bibere maluit: quid aliud præter intestinorum dißidiorum semina fructus pepererit non uideo. Itaq; tandem factũ est, quod huic regno in sese diuiso, Turcus, ductu & auspicijs Sathanæ, desolationem minari cœperit. Cui quidam in Lutherano ludo edocti, immo ipse Lutherus, minime gentium resistendum esse fortiter cõtendit. Belli, si dijs placet, homunculi, meoq; calculo nequaquam indigni qui ad coruos amandentur, qui cum infidelibus bellandũ eße prohibent, interim centena Christianorum milia mise-

Clades Germaniæ à Luthero.

Bellũ Turcis inferendum.

re interficiunt. Alij uicißim ut sanioris iudicij, ita probabilioribus argumentis, quantis quantis dicendi uiribus poßunt, bellum omnibus modis aduersus Turcorum impreßionem suscipiendum persuadere conantur, quorum sentẽtiæ omnes, quotquot sumus Christiani, merito subscribere debebamus. Ea igitur ratione ego quoq; ductus, orationem illam, ad sereniss. Anglorum regem in celebri Episcoporũ ac procerum conceßu Londini à me habitum, tibi non modo Mæcenati meo, sed & omnium studiorum, studiosorumq́; tanquàm cuidam asylo dedicare uolui, quã ubi (quæ alioquin tua est ciuilis admodum humanitas) renidenti fronte susceperis, omnino exhibebis ansam, ut in posterum ad cõsimiles labores maiori spiritu suscipiendos accingar. Vale Reuerendißime Antistes, bonorum omnium patrone. Ex Vienna. 16. Martij. Anno à Christo nato M.D.XXVIII.





Erenißime ac potentißime Angliæ, & Franciæ Rex, Sacrosanctæ orthodoxæ fidei defensor pientißime. Nobis, quos hic ob communem usum & rem publicam Christianam non modo in pristino suo statu conseruandam, uerum etiam latius propagandam adesse coram cernis, Serenißimus atque inuictißimus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croatiæ &c. Rex Ferdinandus, Infans Hispaniarum. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Slesiæ, Brabãtiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Vuirtembergæ &c. Princeps Sueuiæ, Marchio Morauiæ Comes Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ. Landtgrauius Alsatiæ, Marchio sacri Romani Imperij super Anasum, & Burgouuiæ, Dominus Marchiæ Sclauonicæ, portus Naonis, & Salinarum Dominus D. ac Princeps noster clementißimus, tuæ Maiestatis auunculus & frater, suo nomine tuam Regiam Maiestatẽ ut plurima salute impartiremus iniunxit, atq; ita se offert beneuolum, ut quibuscunq; rebus tuæ Regiæ maiestati placere poßit, nunquam non facilem & spontaneam operã suam præsto tuæ Regiæ Maiestati futuram polliceatur. Verumtamen cum eiusmodi functio ab eadem Regia Maiestate mihi semel delegata sit, ut coram

Regna prouinciæq; Regis Ferdin.

te omnibus numeris excellentissimo Principe, ac potentissimo Rege uerba sim facturus. Vereor equidem, conceptae de me expectatiõi omni ex parte satisfacere nequeã, cũ uidelicet onus sit grauius maiorisq; molis, quàm ut humeris meis illud subire posse mihi arroganter ascribere uelim. Nihilo secius interim, dum me necessitas & uoluntas eo Regia cõpulit, rem, licet perarduam, utcunq; humili dicendi filo expedire, & quoad fieri poterit, paucissimis absoluere conabor. Non ignorat Regia Maiest. tua, quae inter grauissimas florẽtiss. huius regni occupationes Regias, etiam res sanctas, & quicquid usspiam ad Christi fidem religionemq; pertinet, tum crebra lectione, tum meditatione frequenti pertractare consueuit. Quomodo Christus dominus & Saluator noster, qui in principio erat, est, manebitq; Verbum aeternum, uerbi sui semen, sanctae & illibatae uitae exemplo, ac iugi praedicatione in huius mundi agrum sollicitudine non parua seminarit, quo semẽ hoc, in bonam terram iactum, fructum quoq; produceret uberiorem, hanc suo proprio sanguine irrigauit. Sic ut ipse uere unicus filius, primusq; fuerit, ac sit, q exierit seminare semen suum, nõ uolens ut caderet, uel in uiã publicam, uel inter uepres. aut su

Initium religiõis Christianae ex semine Verbi

pra saxum aliquod, sed in bonam, frugiferamq; terram, ortumq; faceret fructum cum fœnore. Ad huiusmodi causam, de semine parabolam ab apostolis non intellectam pulchre edißerit, Regnum cœlorum grano sinapis, quod sumptis radicibus in stipitem in ramos, tandemq; in magnam arborem crescit comparat. Multipliciterq; in Euangelio testatur, sese hoc uoluiße ut gentilium erroribus, ac Iudæorum superstitione ueluti spinis, tribulis, urticis, infœlicibusq; lolijs & miricis, atq; id genus alijs terræ nascentibus, falsam ac sterilē proferentibus messem, ab agro mūdi præsentis funditus erutis, ac euulsis, totus ager, qui mundus est, flauescentis & fertilißimæ æstatis spicas ex omni parte refertas perpetuo generaret. Ea propter de ficu, ficulnea, ac cæteris arboribus, de messe, meßoribus, falce, regionibus albis. uinea, uite, agricultura, uinitoribus, colonis, æstate, horreo, area, fructibus, centesimo, sexagesimo, ac tricesimo, thesauro in agro abscondito, & tribus farinæ satis, Grano frumenti, & hisce simililibus sexcentis propemodum parabolis, arcana mysteria, ignitasq; sententias ore suo diuine deprōpsit. Percurrens deniq; Iudæam, Galilæam, Samariam, totamq; Palæstinam, plantator, irrigator, et incrementi præcipuus autor, sua manu stiuam aratri etiam usq; ad crucem, crucisq; mortem non retro-

Prædicatio Apoſtolorum.

ſpitiens duxit, torcularq; ſolus calcauit, quo lætas ſegetes, meßem, uineamq; perfectã, in hoc agro patri æterno, quem & ipſe uocat agricolam, plantaret. Et ne quid uſpiam neglectum iret, etiam apoſtolos quos alibi palmites, & in Marco deſignat agricolas, in mundum uniuerſum miſit, ut & illi reliquum & totum terrarum orbem, quaſi communẽ agrum hac fœcunda plantatione replerent, deniq; iuxta uerbum Doctoris gentium, dei agriculturã facerent. Et ad illius exemplum etiam ſanguinis effuſione terram, alioqui ex primorum parentum transgreßione ſpinoſam, ſterilem, aridam & penitus infecundam, cœleſtis gratiæ riuulis abunde irrigarent. Cecidit itaq; res breui feliciter, atq; adeo ut apoſtolorum ſonus in omnem terram exiuerit & in fines orbis terræ, a ſolis ortu uſq; ad Britanniæ occaſum uerba eorum. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, uenientes autem uenerunt cũ exultatione, portantes manipulos ſuos. Non modo Samaria, ſed etiã οἰκουμένη hoc ẽ, totus orbis hoc ſemen, id eſt, uerbum, accepit, quo uniuerſa terra (ut olim Aræ filiæ Caleb, irriguum ſuperius inferiusq;) irrigata eſt. Factæ ſunt itaq; [illegible] letæ ſegetes, Regiones albæ, Meßisq; pe[illegible] Aſia, Aphrica, Europa, ab oriente uſq; ad penitus toto diuiſos orbe Britannos. Hæc tempora non ſolum

ſeptennalem in Aegypto ubertatem, uerumetiam Saturnia regna longe ſuperarunt. Ea quoq; fames diuinißimi uerbi dei, de qua paſtor ruſticus & propheta Amos in paſtoralibus Thecuę nonnihil prædixerat, omnino ſublata eſt. Terra enim dedit fructum ſuum, ederunt pauperes & ſaturati ſunt, laudaueruntq; dominum. Comederunt ueri Iſraelitæ panem abſq; ulla penuria, panem de cœlo uerum, in quo uiuit homo, in cuius fortitudine cum Helia propheta ambulat, quiſquis ederit, uſq; ad montem dei Oreb.

Mahumetus pſeudoChriſtus.

Quumq; hæc plenitudo temporis, dulce plenūq; conuiuium, ſexcentos perſtitiſſet annos, Ecce tenebricoſa ac quaſi intempeſta nocte inimicus homo, non modo pſeudopropheta & ementitus Apoſtolus, ſed pſeudochriſtus, qui ſe pro Deo uenditabat. Mahumetus Spurius à patre idololatra, & Agarenus à matre, haud ſecus quàm callidus ille ſerpens, in paradyſi dominicum agrum irrepſit, zizaniamque ſuper ſeminauit, & quicquid recti, ueri, honeſti, & ſalubris à Saluatore noſtro, illiuſque diſcipulis tanto labore & ſtudio per priora ſecula plantatum & cultum erat, extirpauit, euulſit, & quaſi radicitus euertere atque euellere cœpit. Nec aliter

quam horrendus ille & cunctis formidabilis aper, qui misere quondam uastabat Arcadiam uicinasq; regiones. Idem Mahumetus, abiecto pudore, longe lateq; depopulatus est. Ac semen, quod in terram mirifice fœcundam ceciderat, penitus euulsit, extirpauitq;. In peßimæ & astutißimæ uulpis modũ, uineam Enggaddi, zorecq;, utramque illam electam uineam domini dei sabaoth perdidit, totumq; agrum sanctum, tam pulchris redimitum floribus, & Christi tam bono odore fragrantem, ut longe præcelluerit odores Iacob filij Isaac, Nardi, unguẽtorum, florentium uinearum, Mirræ, Balsami, Mandragoræ, suauißimiq; Thimiamatis, infecit. Is Mahumetus, & si ex infima fece, obscuroquè loco, dubium Arabs an Persa, natus fuerit, quasi ille inter Israelitas primus blasphemus de patre Aegyptio, & Israeliti de matre natus, huius mundi regna respuit, ut Christus in monte, sed suggerente tentatore diabolo, mox omnia ambiuit, & Sathanam adorare cœpit. Quippe Sergij, Nestoriani apostatæ, & Ioannis antiocheni hæretici auxilio & opera fretus, rudi & nihil tale intelligenti Arabum populo, miris præstigijs Alchoranum præscripsit, quasi legem demissam cœlitus. Vidit uana, & in pseudoprophetæ morem diuinauit

dep ulator uineæ domini Sabaoth.

mendacia. Quo deniq; totum orbem, quem tunc in tres uias trium religionũ, Christianismi scilicet Iudaismi & Gentilismi, diuisum inuenit, sibi uendicaret, ad se suamq; nocentissimam sectam pelliceret, ex omni parte, ea quibus hominum desyderia & illecebræ appetitus satiantur, inseruit, Instabilesq; in fide, hac uia, in Antichristi modum, seducendo a uero, aberrare multifariam fecit. Et quo popularior esset, & multos brucos adnumeraret, ex omni secta quæ placentia erant, atque Veneris & omnium uoluptatum relaxare habenas solent, prædicauit, omnia contra sententiam toties a Paulo repetitam, in carnis occasionem. Sicq; consuit puluillos (ut est in Ezechiele) sub omni cubito manus, & fecit ceruicalia sub capita uniuersæ ætatis ad capiendas animas, Quæ omnia huc pertinebant, ut eiecto Christo, ipse uerus Meßias, & quasi alter Nabuchodonosor, pro deo haberetur, Cœli, maris, terræq; dominus esset. Et nationes, quas dulcedine, uoluptatum & titillatione carnis permulcere, & ad se pertrahere non potuit, ui adigere añio suo cogitauit. Iccirco in suæ legis Alchorano spurcißimo. sic ꝑpetuo seruandũ statuit, ut in quatuor plagas terræ Mahumetani reges: quatuor Amiros (quos nũc Thracico uel Persico uocabulo Baßas: Sclauonice Vuonas appellant) eligerent ac intertenerẽt, qui semper armis & ma

Doctrina eius carnalis

Iußit eligi Quatuor Amiros: qs nũc Baßas & Vuonas uocant.

nu potenti terras alienas incurrerent, hasq; Mahumetanicæ ditioni seu tyrannidi subiugarent. Sic eo tam ambitioso ordine ac instituto repente factum extitit, ut ijdem Mahumetistæ, quos maiores nostri aliquot seculis Sarracenos, & nos præualescente nomine Turcas uocamus, bellis quasi per manus acceptis Mecha nullo pacto contenti longe lateq; per uniuersum orbem regnare cœperunt. Quandoquidem defuncto Mahumeto, anno suæ ætatis tricesimo quarto, illoque cũ suis aliquot pseudoprophetis asseclis apud Mecham sepulto, Turcorum interim arma in exteros fines nunquam quieuisse leguntur. Idque non modo miranda, sed stupenda res fuerit. A Mahumeti morte si duntaxat numeremus centũ proxime secutos annos. inueniemus quanta uicinis natiõibus damna intulerint: quot Imperia, Regna, Prouintias & terras occupauerint, quæ cum obiter & per compendium, uel scire, uel alta mente reuoluere non parum prosit, rebusque nostris ualde conueniat, nonnulla commemorare libet. Non q̃ clemẽtißime Rex ista nescias, qui rerum earundem & similium gestorum doctißimus & expertißimus es, sed ut in memoriam reuocemus, paruus in Arabia igniculus in quantam flammam latumq; incendium breui excreuerit. Sic enim historiæ tradunt, sub Heraclio imperatore, Anno post Christum natum sex-

Tricesimo quarto anno suæ ætatis sub Heraclio obijt.

ingentesimo tricesimo secundo. Mahumetum, qui se deum immortalem fecerat, obijsse mortem, illiq; dum uiueret, ex aliqua parte Arabiam paruisse. Fuit eo tempore Syrohes Persarum Rex, hūc Ebubaber, Mahumeti cognatus ac successor, uicit exuitquè regno. Post quem Haumar, secundus Mahumetanorum Rex, qui repente irruit in Syriam, sanctamquè Hierusalem cum dominico sepulchro occupat. Syriam domat. Mesopotamiam totam usurpat, eiectisquè Romanis Cæsaream Palæstinæ capit. Eodem Haumaro à quodam Persa per insidias interfecto. Otman Sarracenis præficitur. Qui mox Gabatham reliquamquè Arabiam, petream scilicet & desertam sterilem, & eam quàm felicem uocant, usquè in sinum Persicum, & ultra mare rubrum subiecit. Posthac Muhaniam prætorem cum quatuor Amiris misit, qui Antiochiam, primā sancti Petri apostolorum antesignani sedem cepit. Aegyptum cum reliquis prouincijs usquè ad Euphratem, fluuium ex paradyso (ut in Genesi legitur) fluentem, obedire fecit, & transito Euphrate Edissam uenit. Post hoc Sarraceni, seu potius Agareni, non a libera, sed ancilla Ismaelitæ, Aphricam impetunt, & illius magnam partem tributariam facientes, ex templo cum mille scaphis & pluribus.

Successores Mahumeti.

Ebubaber.

Haumar

Otman

Hic subiecit sibi oēm Arabiam.

Antiochiā.

Cyprum, quæ est Insula Syriæ & Ciliciæ opposita, inuadunt, Mox Isauriam, quam Ciliciæ partem nõ nulli fuisse dicunt, ac Siciliam deinde, angusto freto ab Italia diuulsam, & in ea pulcherrimam, ijs temporibus, Siracusanam urbem hostiliter obtinẽt clarißimam in maria Carpathio Insulam Rhodum truculenta manu inuadunt, & illic nobilem Colossum, statuam quidem septuaginta cubitorum altitudinis, ex ære mirabili artificio conflatam, inter septem mirabilia mundi numeratam, hostiliter destruunt. Ex cuius ære Emißenus quidam, genere Iudæus, noningentos Camelos onerasse legitur.

Cyprum

Isauriam

Siciliam

Rhodum

Colossus Rhodius ab eo destructus.

Eodem etiam anno, qui a uirginis partu. DC. LV. Mahumeti uero morte uicesimus tertius erat. Thurci Armeniam intrauerunt, & Mutianum Romanorum Prætorem usque ad Caucasios montes persequuti sunt. Sequenti anno Muhanias ex Amiro factus Rex, Ita Syrijs & Aegyptijs patrocinantibus contra Halim, cui desertum Arabiæ adhæsit. Illico Romaniam, quæ Constantini magni temporibus ita uocari cœpto est ad Bosphorum, propontidẽ, & Hellespontũ ingreditur, Ciliciã et

Muhanias Rex

Cōstantinopolis .VII. annis obsessa.

Litiam occupat, & per septem annos bisantium, quod à primo Christianorū principe, qui uere Christi nomen agnouit, Constantino magno, q natus Britannus erat, si (ut par est) Lactantio credimus, Constantinopolis nomen accepit, terra & mari tā strenue obsedit, ut obsidionis anno primo sex continuis mensibus non recesserit Mahumetana classis à mari, neq; inde castra mota fuerint à mœnibus. Sed in longum nostra cresceret oratio, si recensere perrexero, quæ & quanta egerint reliqui post Muhaniam reges, Habilalam scilicet & Abdimelech. Nam sub Iustiniano Imperatore reliquas Persidis & Armeniæ partes occuparunt, ipsamquè Carthaginem, quàm tantis etiam tēporibus Romana potentia subdere non potuit, potenti manu inuasere. Vlid quoq; Rex Damascum & Misiam, quàm hodie Thurci Sagariam dicunt, occupat, & Galatiam totam expoliat. Quod si magnas res & memoratu dignas hij homines hucusq; gesserunt, non minora Sulimon, Haumar, Gizid & Eluelid, omnes Turcarū reges, & Turcicarum rerum gubernatores, præstitere. Nempe Sulimon Thraciam, in qua tunc Triballi, Dardani & Misij erant, totam uastauit, Gizid in Sardiniam ruit, Haumare ita iubente. Anno salutis .DCC.XX. inter dissensiones ac dißidia Iustiniani & Philippi, Abduraula belli & exercitus Sarra

Reges Habilalam & Abdimelech

Rex Vlid.

Alij Reges Turcarum.

Sulimon.

Haumar

Gizid

cenorum Dux, ex Numidia, Mauritania, & reliqs Aphricæ locis, in Hispaniam transfretauit, illamq; totam & maxime Granatæ regnum sibi uēdicauit. solis Gallicia & una parte Castiliæ saluis. Et quotquot illic Visigothos ac Sueuos inuenerat: eiecit. Sicq; Sarraceni magnam Hispaniæ partem eamq; fere octingentis annis occuparunt, quoad successu temporum, aliquot Hispaniarum reges iunctis copijs, illos partim repulerunt. Et nouissime Ferdinandus & Isabella, Augustissimæ tuæ contoralis parētes, Sereniss. Regis nostri auus & auia, per quinquennalem obsidionem, illos à Granaten. regno & urbe, anno incarnationis domini. M.CCCC.XC. eiecerunt.

Abduraida in Hispaniā transfretauit.

Ferdinādus & Isabella Sarracenos eiecerunt

Ex quibus omnibus manifestum habetur & est, intra primum centenarium, quàm effusæ Turcarum uires creuerint & auctæ sint, utpote qui maiorem Asiæ, Aphricæ & Europæ partem uiolenta depredatione expilauerint & occuparint, nec interim ullo unquàm tempore illorum arma siluerunt, de quibus enarrandis si liber scribatur, immensæ magnitudinis erit, usquè adeo πολύδειψιος ille re gnandi Tyrannus intra octingentos annos suarum uirium alas late extendit. Missis ergo ob temporis angustiam & tacite præteritis Christiani orbis, fidei, rerum & populorum iacturis, ciuitatum ruinis. regnorum deuastationibus, cruentissimis tot hominū

cædibus quas à septingentesimo, usq; in millesimum quingentesimum Christianæ natiuitatis annũ Turci perpetrarunt: sunt ex uiuentibus, qui adhuc reminisci possunt. Amuraten Othomannorum Turcorum principem, à Christianis cœpisse Thessalonicã urbem, quàm duabus epistolis Tarsensis ille Paulus docuit in fide Aetholiamq;, quæ nunc despotatus, & non modicam illyrici partem ui subiugasse.

Amurates princeps Turcorum

Ac breui multas urbes Atticæ, Boetiæ, Phocidis, Achaiæ, Macedoniæ, & Græciæ occupasse, nobilissimas deniq; Aegæi maris insulas, Euboiam, quæ Nigropons, & Chium (in qua Euchius nascitur, qui curas dissipat edaces) manu potenti ademisse, Lesbon quoq; & Mitilenen Machercifiliæ. Anno salutis M.CCCC.LXIIII. eripuisse, & quòd intra sexagĩta annos ausus fuerit, in Apuliam traijcere, & Hidruntem uendicare.

Quo deniq; Seruiam, tunc inferiorem Misiam, per occasionem adipisceretur, Georgij Seruiæ despoti filiam desponsauit. Et apud Varnam montem Vlatislaum Poloniæ Regem, ac ipsos Hungaros in prælio superauit.

Quid quod quinquagĩta plus minus sunt anni, quando Machumetes Amuratis filius, quem cuncti ob magna facinora, magnum Turcum uocabant, per Hellespontum in Europam classe traiecit ad

Euxinum mare, à littore Boſphori caſtrum fecit, & Conſtantinopolim, alterum Chriſtiani orbis oculum nobis ademit. Ac Paleologorum ultimam Conſtantinopolitani imperij regnantem familiam cum ipſo Imperatore euicit, & reliquā Romaniam ſummo dedecore ſubdidit.

Hinc Peloponeſum, non tantum gentium in ea quondam nobilitate & potentia, ſed locorum etiam ſitu, promontorijs & ſinibus nobilem, prædam ſibi fecit, & omnem Chriſti populum abduxit, eoq; pro uiliſſimis mācipijs uſus eſt. Et mox irruit in Achaiam, Acarnaniam, Epirum, Bulgariam & Seruiam quas omnes, & quicquid ab Adrianopoli, ac intra Sauum amnem, & Danubium flumen interiacet, cū magna parte Valachiæ. quæ olim Datia, ſuis imperijs ac regnis adiecit. Boſnam poſtremo, quam ueteres Miſiam ſuperiorem nuncuparunt, & quæ horreum Cereris ob fertilitatem dici meruit, Hūgariæ & Croaciæ conterminam, ingreſſus eſt. & tanquā horrenda tempeſtas, illic cuncta uaſtauit, illamquè cum uniuerſo Regno, & Chriſtiano rege, comprehendit deſtruxitq;.

Peloponeſum prædā ſibi fecit

Regiones Græciæ ſuo imperio adiecit

Boſnā, horreum Cereris deuaſtauit.

Idem etiam Machumetes mox nobilem & natura inuictiſſimam Mytilenen denuo expugnat, & Trapezundarum imperium diripuit, & ut ſummatim complectar multa. Iſte unus Tyrannus in Aſia

Mitilenen expugnauit denuo

Imperium Trapezontis diripuit.

minore duodecim regna intra breuißimos annos obtinuit. Pontum ſcilicet, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Liciam, Cariam, Lydiam, PHrigiam, ac ferè omnem Peloponeſum, quæ pœnæ inſula eſt, & Morea nunc dicitur, demptis reliquis prouintijs, Inſulis & urbibus, quæ illius nomen & pedes adorant.

XII. regna in Aſia minore obtinuit

Adhæc omnia idem Turcus adiecit Iſthmon, q angusto tramite Helladi Peloponneſon annectit, et Corinthum celeberrimam urbem continebat. Albaniam, quæ olim Macedonia, & ab Albanis ſupra Cholchidem habitatam, Scopium & Dirachium. Et quedã in Epiro, ad finem quoq; uitæ capta Phocide urbe à Phoco Theſei fratre condita. Soldanũ Aſſyriorum, & Aegyptiorum regem, prælio ſuperauit. Et forte quadraginta ſunt anni, ubi Capha, illiusq; imperium, quæ eſt in ſeptentrionali plaga, & in Traurica Cherſoneſo, non longe à Meotide, in manus Turcorum deuenit. Et inde uno impetu, ſeptuaginta milia Chriſtianorum captiui abducti ſunt. Interim Vgent Machumet, Aßimbei Suncaſſani filius, in regnis Parthorum, Perſarum, & Meedorum, Meſopotamiæ, & Armeniæ regnare cœpit.

Iſthmõ Macedoniaquè ſibi ſubiugauit.

Soldanum prelio fudit

E Chapha ſeptuaginta milia Chriſtianorum abduxit.

Temporibus itaq; Mathiæ regis inferioris Pannoniæ, quàm nunc Hungariam uocitãt, Machumet

Irruit in Hungariã.

irruit in Rasannum Lycoshanum, Seuerinum, Clisium & Moncastrum, pugnacißimas urbes, in ripis Danubij, & ad mare sitas. Ex illis quoq; in Hungariam. Sauo, Trago, Trauo, & Danubio fluminibus liberum transitum fecit.

Hijs quoq; & bonæ memoriæ Imperatoris Romanorum Friderici tertij, nostri regis proaui, temporibus Pazaita. Baysetas per duces, quos (ut antea dictum est) Thurci Baßas, & Slauonice Vuonas uocant, grauißimas incursiones in Pannoniam, Croaciam, Dalmaciam, Illyricum, Carniam, Carniolam, Carinthiam & Stiriam, inclytas domus Austriæ Prouintias intulit, & sic Germaniam pugnacißimam, à limine primus Turcorum salutauit. Narantemq; regis Mathiæ portum, regnumq; Croaciæ, quod olim Liburnia fuit, maiori ex parte uastauit.

In multas Austriæ prouincias impreßionem fecit.

Sic itaq; Turcorum tyrannus, illiusq; res ex minimis principijs in immensum pene creuerunt, & ubi per apostolos ac martyres olim signum crucis, nomen Christi, tēpla summi & ueri dei erecta sunt. uenerant gentes (ut est in Regio Citharedo prophета) in hæreditatem domini, polluerunt templum sanctum & tabernaculum nominis eius, posuerūt Hierusalem in pomorum custodiam, morticinia seruorum domini escas uolatilibus cœli, carnes sanctorū bestijs terræ, effuderunt Christianorum sanguinem

Prophetia Dauid de Turcis.

Immanitas Turcarum in deuictos

tanquam aquam, & non erat qui sepeliret. Patriarchas Antiochiæ Alexandriæ, & Constantinopoleos, Archiepiscopos, Episcopos ac sacerdotes, dei ministros, & mysteriorum dispensatores, & electos Christi milites, ense, quem illi Sebolam uocant, necauerunt. Vxores & uirgines castissimas inter obscena Mahumeti prostibula prostituerunt, hijsquè ab usi sunt.

Viros & mulieres, senes & iuuenes, absq; sexus & ætatis discrimine, dum hæc fierent, abduxerunt. In miseramq; Pharaonis seruitutem, ad coquendum lateres, ad fodiendum arenam, ad remigandum in triremibus, more Galeatarum, reiecerunt.

Ah quoties infantes ab uberibus & lacte matrũ auulsi sunt, & interim in illas pudicissimas matronas Lucretias, spurcissima Venere seuitũ est. Quis nefandas transactorum temporum cædes, stupra, adulteria, sacrilegia, tot clariss. urbium euersiões, referre sine lachrymis potest?

Crudelitas in Clerum.

Veritas & res gesta est in Mitilene Constantinopoli & Trapezunda, quoscunq; diuino cultui deuotos & addictos inuenere Turci Archiepiscopos, Episcopos aut religiosos, perinde ut boues in campis & foris mactari fecerunt. Et in prelio æstatis proximæ, non satis erat quod octo Episcopos Pannonum interfecerant. Sed post stragem inter mor-

tuos Christianos Archiepiscopum Strigoniensem, Cancellarium regni, ac dominū Paulum Archiepiscopum Colossen. utrunq; pro fide Christi mortuū, Solumon Turcorum princeps decapitari, & in frustra ac minutißimas partes (ut nonnulli retulerunt) secari ac discindi impudico ore iußit.

In Archiepōs Hungariæ.

Turcus in Rasia, hoc est inferiori Misia, quæ Seruia nunc est, cunctis magnatibus oculos erui, quasi alter Iulianus apostata, præcepit. In Euboia uero innumerum populum palis suffixit, alios obtruncauit, plerosquè ignito ferro discerpsit, pueros & infantes nondum ablactatos saxis illisit, & pro Tyrannica consuetudine multos per medium scidit.

In Magnates Rasiæ
In populū Euboiæ

Trapezontium autem Imperatorem, cum ponticæ Oræ & Cappadociæ principibus, liberis, uxoribus, Bisantiū uelut in triumphum duxit, ductosquè lachrymanda morte interemit.

In Impera. Trapezontium.

Prætereo urbes, ciuitates, & castra, quæ Turcus ferro & flamma perdidit, & quædam solo æquauit. Quid q; non sine Christianitatis magno, uixq; uincendo periculo, celebriores urbes, quas orbis habet, suæ tyrannidis uocem audiunt, inter has expressis numerare nomībus cogimur, Tripolim, Smyrnā, Sebasten, Cæsaream, Anthiochiamquè, quæ olim Reblata & Petri prima Cathedra, Alexandriam

Vrbes magnæ sub Turcis.

quæ Euangelistæ Marci ſedes fuit, Damaſcum, Ioppen, Aſcalonem, Tyrum, Sidonem, Alchirum, quæ olim Memphis, Balthac quæ Babilõ, Athenas, Theſſalonicam, Laodiciam, Coloſſam, Philippidem, Thebas centum portarum, & Niniuen trium dietarũ, ipſamque arcem Syon, unde exiuit lex, & Hieruſalem unde exiuit uerbum domini, aliaſquè propemodum infinitas & potentiores totius mũdi urbes populoſißimas & opulentißimas & auguſtißimas.

Adhuc tam amplis imperijs, regnis, prouintijs, et urbibus ἄπληστος ille orthodoxæ fidei hoſtis nõ eſt ſatiatus, ſed totus adhoc tendit, & animi ſui audacem cogitatum adiecit, quando ad orientẽ ſolem nihil ferè reliqui habet quod rapiat, ſed iſtic terræ

Occidentalem plagã uexare incepit.

& maria illi obediunt, iam ad nos rapacißimos ſuos ungues conuertit, et reliquam occidentalis eccleſiæ particulam, quæ in illius comparationem quaſi tenui filo pendere uidetur, demoliri conatur.

Eſt quoq; illius proculdubio præſumpta & elata in cœlum uſq; cogitatio, nolle ceſſare, quoad in fluminibus tuis (hic caue prudenter & defende uiriliter catholice Rex, qui fidei defenſor es) etiam Tameſia iuxta regiam tuam ſuos Turcicos Aſturcones equos, & Camelos adaquet ex eoquè potum præbeat.

Et ut Lybico, Perſico, Ionio, Aegæo, Hircano,

Tiberiaco, Adriatico, Euxino, & alijs maribus praeualuerit, ita sibi facillimum & citißime futurum non dubitat, etiam Poligoniae tuae Britanniae, Orcadibus insulis. Islandiae, ultra circulum Arcticum imperare, ut ipse unus ac primus sit futurus, cui ad Maronis hemistichium seruiat ultima Tyle, & sic non modo Oceano, sed & toti mundo praesidere ambit, forte cum Pellio iuuene, tandem quaesiturus a philosophis, magisq; prudentibus, an ullibi locorum sit alius mũdus, ut & illum sibi subiugare festinet. Ea propter cum in Aethiopia supra Aegyptum, quae India est, Naid Gian, quem nos Pretoian dicimus, non formidet: a Syria & Aßyria, Melech, Lastraphi, Sulidanũ deleuerit: cum Tartaris ultra Tanaim & Meotides Paludes affinitatem contraxerit. (Nam illorum Rex uiuentis & nostris temporibus in nos tam dire ferocientis Sulimonis sororẽ in uxorem asciuit) & cum ijs Scythicis populis, qui ultra Bolgam amnẽ & supra Caspium mare degunt, amicitiam teneat & pacem: Hiberiam, in qua olim Bacharites Melech, pro uoto habeat, Sophiq; Persam bis praelio uicerit, Etiam ab illius Regia urbe & regali sede nobis uiuentibus profligauerit (Ita in proximis comitijs procerum Romani imperij apud Norinbergam, ubi etiam tuae Maiestatis Regij Oratores aderant: Sophi Persae nuncius ad Regem nostrũ Potentia Turcarum

destinatus referebat) neq; sit, quod hunc Persarum Regem, uel aliũ quenquam interra formidet: Ideo hoc omnes potentias uiresq; suorum potentißimorum regnorum conuertit, ut Hungariæ et Croaciæ regna sibi contermina, & deinde tantillum quod superest Christianitatis euertat, uastet, sibiq; subijciat. Sic intra sex annos sub Adriano huius nominis Romano pontifice sexto, Rhodon insulam, & ciuitatem Rhodianum, a cruce signatis militibus expugnauit, Sic Belgradum Taurini oppidum, quod alij albam uocant, uere bellum Pannoniæ gradum cum munitißima arce, non modo Hungariæ, sed totius Christianitas propugnaculo euicit.

Rhodon insulam sub Adriano Ro. Pontifice cœpit.

Et profecto dolenda res est, ut Rodos Lydiæ Insula, quæ olim perpetuo quinquennio, a Soldano ægypti armata classe uexata, & post hac ab Ottomanno Turcorum principe, cum centum millibus armatorum, octoginta diebus obseßa, libera & inuicta fuit, & Belgradũ urbs munitißima a Mathia rege faucibus Turcorũ erepta sic æuo nostro ab immanißimo illo Tyranno CHRISTIANORVM dißidio, desidia dicere uolebam, occupentur. Et ex hijs, ut plerisq; alijs CHRISTIANORVM locis, CHRISTIFIDELES innumeræ quidem multitudinis iugulati, & reliqui compedibus

& cathenis uincti, abducti, & in Machumetis secﾭtam reiecti sunt.

¶ Anno uero præsenti, æstate præterita, Sulimon ille Turcorum Imperator factus ut se immortalem, & adhuc adolescens, populum sibi in uiridi applaudentem faceret & conciliaret, suorumq; regnorum fines augeret. In propria persona sese a sedibus proprijs mouit, & tanquam Attila flagellum, fulmen, & terriculamentum orbis, cũ potentißimo exercitu tam equitum quam peditum ultra centum & quinquaginta, & fere ducenta milia hominum, cum Camelis (ut quidam retulerunt) triginta milibus, nauibus tribus, millibus, equis, artelerijs, munitionibus, & commeatu instructißimus Hungariam inuasit, Petriuardin, & alia quædam munitißima castra cœpit. Ex his aliqua in cinerem uertit, Infinitam CHRISTIANI sanguinis multitudinem cruenta & immiti clade, cæde mactationeq; carnifex ille perdidit.

Sulimon præterito anno Turcorũ Imperator electus

Quæcunq; etiam tam hominum, quam iumentorum, aut bonorum, ex lateribus fluuiorum, Saui, Traui, Tragi, & Danubij inuenit, uastauit: & in prædam quasi leo rugiens diripuit, Idque in longi(tudinem, si solam Hunga-

riam eamq́ʒ a Belgrado metiamur, per quadringenta & in latitudinem per ducenta ac plura Anglica miliaria, & quidem paruo temporis decursu, hoc est, sex mensibus perpetrauit.

Quod deniqʒ horribilius est, occurrentis Ludouici regis exercitum ualidißimum, octo Episcopos, ac regni primates & proceres profligauit, & in tuæ Maiestatis ac omnium Christianorum Regũ & Principum perpetuam ignominiam, & uix abluendum dedecus, pientißimum regem, eumqʒ florentißimæ ætatis, iuxta Tragum flumen, in obscena et profunda palude immatura morte interire fecit.

Felicis memoriæ regẽ Ludoui cũ Hungariæ fugauit & trucidauit

Et mox triumphabundus. Sennacherib ille blasphemus, sese in eiusdem regis regale solium, quod in inclyta urbe Buda fuit, posuit, sese Hungariæ regem adorari præcepit, ipsamqʒ Budam cum Pesta ciuitate, ex altera & opposita parte sita. Vulcano tradidit, in fauillamqʒ & fumũ perdi & abire fecit

Penetrauit ad Budam, quam incẽdio ꝑdidit.

Nolim hic coram prudentißimo Rege diutius immorari circa cædes, latrocinia, iugulationes, predasqʒ opimas, quas etiam in æneis Machinis in subsidium mißis abduxit.

Adhuc ἀπληστος & sanguinarius hostis, intra fines nactos manere, atqʒ Constatinopolinato Trapezũtio, etiã Caphæ, Imperijs & plus quã sexagintaregũ regnis cõtẽtari non didicit neqʒ uult,

etiam si Macedoniam, quae nunc Albania, habeat, ex qua gente, ad excursiões sane procacissima, Philippi regis Filius magnus ille Alexãder, cum trigĩta millibus duntaxat militum, ut quintus Curcius testatur,, fere totum sibi subegit orbem

Iam uero minime saeuissimus quiescit animus, sed diu noctuq; secum uoluit ac meditatur, ut singula reficiat atq; instauret, quae ad ulteriorem & nouum belli gerendi apparatum attinent. Terra deniq; & aquis cõmeatum comparat & instruit, quaecunq; pro aestate nunc proxima & imminenti necessaria sint, ut mox hungariam, Croaciam, Austriam, & proculdubio Germaniam, & reliquas Christianorum prouintias, etiam occidentis quicquid superest, suae ditioni subijcere poßit.

Instriat sese ad futurum bellum germaniae prouintijs inferendũ

Animatur ad haec & tam magna moliri Turcus q̃ uidet Hũgariam nũc sibi apertam esse, nec (ut olim) Euxino mari, aut Alpibus impeditur, aut clauditur. Cecidit Croaciae regnum, quod suo hiatu fere totum absorbuit, deglutiuit & deleuit, Superest ut peßimus uicinus, reliquos uicinos, quos pati non põt, neq; uult etiã, te quoq; in breui rostratis triremibus & nauibus, aut terra adoriatur.

Croaciã fere deleuit.

Sciens & quasi prae oculis praesentaneos interitus Christianitatis uidens Sereniβimus ac clementißimus Ferdinandus, Hungariae ac Boemiae rex Ar

Prouidentia Regis FERD.

chidux Austriæ, & princeps & Dominus noster gratiosissimus. Quid aliud faceret quam quod maxime & primo omnium loco Christianum principem, a tot Christianissimis Imperatoribus, Regibus, & Archiducibus parentibus, auis, proauis, abauis, & attauis natum, & speculatorem fidelem, contra uenientem gladium decet, ac plurimum ornat, inprimis CHRISTI, non propria quæsita gloria, precantes manus cum toto illi credito populo leuet, & cinere aspersus cilicioq; in Niniuitarum regis formam indutus, toto corde se uertat & clamet ad dominum. Quis scit si conuertatur & ignoscat deus, & relinquat post se benedictionẽ.

Adhoc ueluti Iosue contra Amalechitas pugnaturus pro saluanda Christiana Repu. & recuperãda ab iniustis possessoribus, Iebuseis, Cananæis, Phereseis, Etheis, Amorreis, terra promissionis, quæ lacte & melle fluit, etiam illa sancta ciuitate Hierusalem, se uiriliter & fortiter contra iturum parat & iam irruenti sane sæuo hosti, perinde ut ordinis diui GREORGII militem, quem Gedeonis & suscepti uelleris, clipei, ensis, & hastæ sic tuis præscriptis legibus exigentibus, memorem esse oportet, undequaque conscribit & colligit milites, Machinas, commeatum, & quicquid ad exercitum uti

le & neceßarium esse credit, non aduersus Christia nos principes, sed contra Christiani nominis perse- cutores pugnaturus, hic diligentißime adornat. Ita ut tuae militiae non impigrum agat militem, suoque fungatur offitio.

Sed ne tam fortis & exercitatißimi in bello ho stis uires & multitudinem contemnere uideatur, gaudeantq; super illum olim inimici peßimi, ne ue in toto orbe rideatur, quod apprime & operepre- tium cauendum eße praedixit dominus, uolens aedi ficare turrim, prius sedens sumptus computare debe at. Aut quis Rex: inquit is qui uia, uita, & ueritas est: proficiscens ut committat prelium aduersus al terum regem, nonne sedens prius cogitat, an poßit cum decem millibus occurrere et, qui cum uiginti millibus ueniet contra se. Ea propter apud se suos que fidos, quos habet, amicos & a secretis consilia rios inuenit, nisi sua Maiestas se ac reliquam deni que Europae & CHRISTIANITATIS par tem, non modo tributariam, sed penitus extinctam dedere uelit, hostem cum quo certe dimicare opor tebit, facile non temnendum aut negligendum sed illi cum potentißimo exercitu Cataphractorum

milites qui ppetuo penes. Turcā sun

& leuiorum equitum ac peditum obuiādum esse.

Non ignorat, profecto sed a totidem exploratoribus fidisq; tam suæ Ma. quam Christianorum amicis et monitoribus compertum habet, illum apud Turcos militarem esse ordinem, ut illis perpetuo sint equites octoginta millia, quos Tiniarcinos uocant, qui & in duos diuisi sunt exercitus, Asiaticū scilicet & Europeum, quorum præsidentes (ut antea diximus) Bassas uocant. Et quod Sconisiarum eq tum, qui sine stipendio, & pro quinta parte prædæ militant, semper quadraginta milia sunt, Cathipporum autem Spabiglanorum & Soliphratorum ex Scythis & Persis ad latus regis aliquot milia. Didicit etiam ac scit sua Maiestas peditum ordinem inter teneri triplicem, Ianizarorum quidem, qui ex oībus Turcorum regnis proceriores ad hoc idonei per conquisitores leguntur, & ab ineunte ætate, quasi Ephæbi in publicis gymnasijs & castris, ut olī lacedæmonij nutriuntur, & albo pileo sursum uersus porrecto, breuiorique ueste amicti sunt. hii urbes & arces oppugnant, et uiginti milia sunt. Asypporum autem peditum, qui rubeo pileo ab Ianizaris discernuntur, qui in prelio hostium equos subfodiunt, quadraginta milia, & peditum uolūtariorum qui sine stipendio militant, aut euocantur, demptis & non numeratis Calonibus, lixis, fabris: numula-

Tiniarcini

Ianizari

Asyppi

rijs institoribus ac alijs id genus magna qui uias sternunt, pontes fluminibus, aut stagnis imponunt, aggeres, & reliqua necessaria erigunt, ac struunt, ordinaria institutiõe, dum proditur in campum, educuntur propemodum infiniti. Illis autem sic instructis & a cunis ad bellandum edoctis copijs, paruo & imbecilli cuneo militum occurrere, cum illisq; manum conserere, aut prelio congredi, neq; regi, neq; antesignanis consiliarijs uidetur admodum esse consultum.

Produnt historiæ ueterum, quibus secure fidimus, Pazaiten Pacietem Turcorum regem aduersus Parthorum regem Tamberlanẽ Tambrullonũ, a quo prælio superatus, & cathenis aureis uinctus in curru ducebatur, plusquam quatuor centena milia armatorum, eduxisse, nec dum illius potentia, quantum hodie creuit, aucta erat. Quem Turcis occurrẽdum sit

Proinde uidet, & recte, Rex noster, paruum non sufficere cuneum, sed opus fore potentißimo & ualidißimo tam equitum quam peditum optime instructo exercitu. Quem si conscribere & collectum educere uelit, illum commeatu, machinis aeneis, munitionibus, & alijs rebus innumeris instruere oporteat. Id autem sine inmenso thesauro pecuniæ, qui fortißimus cuiusq; belli neruus est, perfici non poterit.

Paratißima totoq; animo propensa eßet Maie stas illius uel Midæ aurum, ac Salamonis & omniũ regum atq; adeo totius mundi thesauros exponere, modo ut ipsa Cristianitas ab hoc furioso, impio, & sine deo tyranno liberata & salua esset.

Sed prohdolor a Friderici proaui, & Maximi liani aui Imperatorum temporibus, intra quæ Turci uehementiores, grauiores & frequentiores incur siones ac de populationes non solum in Hungariam & Croaciam, sed & Carynthiam, Styriam & Carniolam Austriæ prouintias, per crebros saccomannos & latrones, quos Martilosas appellant, fecerũt Contra quos & in subsidium Regni Hungariæ, quã diu Rex noster Austriæ domum gubernandam sus cepit, septem continuis annis, exercitum magnum intertenere coactus est, sineq; intermißione contra Turcos pugnauit. Non enim tam impius & cru delis in suos etiam Hungaros & Croatos esse uoluit ut sese præcipitet in damnatißimam Lutheri nouam & inauditam hæresim, qua pro suo more pertinaciter per insaniam affirmat, quomodo Christianis contra Turcos bellare non liceat, sed Turcis oẽs aperire portas Christianum & Euangelicum prin cipem conueniat.

His igitur tam diuturnis ac grauißimis incursioni

bus, depopulationibus, ac bellis, militibusq; auxilia ribus, sic suae Maiestatis uires exhaustae, ac diminutae sunt, ut sua Maiestas sola, hanc tantam tanti Tyranni molem, nisi aliunde suppetias & suffragia, & potissimum ex tuae Maiestatis thesauro habeat, iuueturq;, sufferre solus non potest, & multo minus resistere ac repellere.

Quod si hac uice sua Maiestas diuino assistente praesidio, tam irato ac frementi inimico non restiterit, aut saltem praeualentiori Marte non praeualuerit. Iam non solum de Croaciae regno, cuius residua pars exigua est, & Hungaria, quae fere dimidia cecidit, sed de utraq; Germania superiori & inferiori. quibus dudum feciales misit & bellum indixit tyrannus ille, actum erit. Is etiam ad Calesium, Dacuarum, & ultra Britannos & occidentis fines excurret,

Hec res, tam prodigiosum inquam & abhominabile malum, longe a Maiestate tua & cunctis christianis capitibus regibus, ac principibus, ne cõtingat, abesse debebit.

Quod resistendũ sit Turco, ob cõmune periculum.

Est hoc negotiũ siue Christum sanctissimum fidei nostrae caput, siue illius membra spectes per omnia commune, uictoria communis, periculum

 ex altera parte

commune. Paries enim hic proximus ardet. Velimus nolimus, congrediendum erit. Vincere ergo, ut breuiter dicã, aut uinci, fugare aut fugere, necesse est, neq; hic ulla Fabij cunctatio leuabit.

Saepius pro Christianitate defendenda pugnatum est ab Anglis.

Et quia Regia tua Maiestas hoc totidem saeculis à progenitoribus & antecessoribus, quasi inditum ac hereditarium habet: ut Anglia posteaquã Christi nomen, baptisma, fidemq; suscepit, pro illa tuenda q̃ religiosissima fuerit, & fuso sanguine, quasi uitae prodiga, saepe acerrime pugnauerit. Alijsq; pugnare uolẽtibus fidelissime astiterit, & manus praebuerit auxiliares.

Nouus ac peculiaris Titulus Regis Angliae.

Sic sanè aliquot Britannorum reges, dimissis q̃ domi erant omnibus, ab occiduo sole in Orientem, triremibus nauigare Ptolomaidem, Syriam, Hierusalem & alia Palaestinae loca è faucibus Ismahelitarum eripere olim grauati non sunt, & tu non frustra diuino inspirante spiritu, hunc & talem titulũ quem rex nullus habet, adeptus es, ut Christianae fidei defensor scribaris, tenearis, & sis. Quasi te deus talem speciali praerogatiua praeuiderit, nobisq; seruarit, ut hijs temporibus, quibus tanto impetu Turci irruunt, assistas & resistendi materiam pro Regia liberalitate, sanguine iuncto commilitoni ac auunculo praebeas. Pro hijs nempe suppetijs regijs & tuo Regio titulo dignis petendis ad te missi su-

mus. Sed huic tam honorifico titulo, te uiuente, & hac tempestate tunc satisfeceris, ubi Regem nostrũ commilitonem, ac auunculum tuum in hoc tam pio & maxime necessario opere nõ deseras, sed pro tua fortuna iuues, & ipso opere factoq; comprobes, qđ nomine & titulo præfers, utpote qui defensor fidei diceris, etiam opere & contributione sis.

Calamo uelociter currenti aduersus damnatißimum Lutheri monstrum ac hæresim hoc tibi posterisq; tuis acceßit, ut fidei defensor appelleris, id què tibi ac tuo regno maximam utilitatem attulit, qui à tam seditiosa fabula ac cruenta Tragœdia, quibus Germania proh dolor nimium grauata fuit, liberatus es. Idq; non absq; diuina gratia fieri potuit: sed nunc cum & hasta aduersus infideles, ac impios Turcos pugnandum sit, restat, ut huic titulo nõ desint opera. Nam & Iesus cœpit facere & docere.

Apud te cogita, discedentibus à te nobis, redeuntibusq; ad Regem nostrum, rebus non pro uoto nostro obtentis, per Lutheranorum prouintias redire neceße est. Quamprimum intelligerent, nos tanto itinere frustra ueniße, gloriaturi eßent, nõ modo te non eße defensorem fidei, sed & manibus & pedibus in hanc conseßisse sententiam, qui cum illis & ad illorum sententiam teneres solam fidem sufficere absquè operibus, utpote qui fidem titulotenus

Rex Anglie ut fidẽ re ipsa et opere defẽdat, hortatur.

ſcriptiſquè defenderes: uerum re ipſa nihil præſta re uelis. ſed hæc labes à tāto et tam catholico Rege longiſsime abſit. potius hoc reſpiciat. quod Rex noſter. qui illius amicus tam ſanguine quàm affinitate iunctus facere conſtituit.

Magnanimitas Regis FERD.

Paratus eſt Rex noſter omnes uires, theſauros, fortunas, populos, prouītias, et quicquid uſpiam habet, etiam corpus proprium, uitam propriam exponere, neq; dubitat, dominus ſolem tam diu ſtare iubebit, atq; præcipiet, quoad ueluti Gedeon alter, cōceſso uellere ſeſe de inimicis uindicarit. Adiecit cogitatū ſuū in dominum, q ſcutum eſt oīm ſperantiū in ſe, qui pugnabit pro eo, neq; difficile illi fuerit ſaluare, uel in multis uel in paucis. Propterea nō timet quid ſibi faciat homo, Scuto circundabit eum, ut nō timeat a timore nocturno a ſagitta uolante in die: a negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent a latere illius mille, & decem milia a dextris eius.

Sic enim intra ſe Rex noſter cogitat, ſi Deus Opt. Max. olim Carolo Martello Pipini ſenioris filio dedit, ut Lindprandi regis Longobardorum auxilio occideret centena milia Sarracœnorum, & ſic fœlici hac uiſtoria non paucos Sarracænos ab Hiſpania & Gallia pepulit. Regibus autem Caſtiliæ et Arragoniæ conceſsit, ut Ermelinum Sarracænorū

regem ab obsidione Toleti, & tota Aphrica fuso exercitu eiecerit, et nouißime Frederico Barbarossæ Imperatori sic astitit, ut anno uerbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo quinto, per Hũgariam Constantinopolim uenerit, post Bosphorũ quoq; traiecerit, Non modo Philomenam urbem a Turcis, sed ipsam Armeniam minorem, Tirum, & alia recuperauerit: Is proculdubio mittet angelũ de cœlo, exterminatorẽ Aegyptiorum, qui regem nostrum quasi Mosen per mare Rubrum, per uasta deserta & solitudines, in terram sanctam ducet, & triumphatorem cum glorioso triumpho reducet

Armeniam recuperauit Fridericus Barbarossa.

Epilogus

Hæc sunt Serenißime ac Potentißime Rex, Orthodoxæq; fidei defensor fortißime, quæ propter labescentem Christi fidem, illiusq; imminentem proxime & præ foribus expectantem interitum, Rex noster tibi, non ut amico sed ex duplici iure fratri & defensori fidei nostræ proponi iußit. Quæ etsi rudi, inculta, ineleganti & prorsus barbara oratione, quæ nihil floris succi, & gratiæ habet, dicta sunt rei tamẽ grauitas, et amor, quem semper in regem nostrum gestare solitus es, totum quicquid usquam defuerit, proculdubio supplebit.

DIXI.